



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.


### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



3 2044 107 244 824

MH  
v8  
H67







#  
DISSERTATIO ACADEMICA,  
QUA  
NOVA AMMEOS SPECIES  
PROPONITUR.

---

QUAM

*Conf. Ampl. Senat. Philos. in Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

**JOH. FREDR. WALLENIO,**

*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro  
in quarta classe Equite, & Societ. Oecon. Imp. Fenn.  
atque Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm.  
Membro,*

PRO LAUREA

*publicæ censuræ modeste offert*

**JOSEPHUS AUGUSTUS HOECKERT,**

*Stipend. Bilmark Borea-Fenno.*

In Atrio Biblioth. die IV Julii MDCCCX.

H. a. m. f.

1810

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

Ms. 1909

19254

DISSERTATIO ACADEMICA,  
QUA  
**NOVA AMMEOS SPECIES  
PROPONITUR.**

---

*Præmittuntur nonnulla de Methodis in Botanica  
meditamenta.*

**C**um multiplex adeo & infinite varians, ut eidem contemplandæ adstueat, necesse sit, mens humana, in rerum natura obveniat Vegetabilium structura atque habitus; mirandum profecto non est, ex quo plantas plenius pernoſcere atque Syſtematico ordine diſponere alla- borarint almæ Botanices amatores; dubios eos hæſiſſe cui, in re ardua perficienda, ſe via potiffimum committerent. Duplicis autem generis fuerunt, quas amplecti ſe poſſe intelligereat methodi, quarumque proinde electio ambiguos eos in plantis diſpenſendis teneret: *Naturalis* una, *Artificialis* altera, utraque ſuis laudibus commendabilis, ſed variis ſimul difficultatibus ſalebrosa.

Perſpicaces namque diligentesque Botánicos, naturam acriter & ſedulo examinantes, diu fugere haud potuerunt, quæ inter Vegetabilia per tellurem noſtram obvia intercedunt ſimilitudines atque affinitates haud ſane obſcura; uti nec latere eodem potuit, nil cogitari poſſe in ſcientia herbaria præſtantius, quam ſi, his affinitatibus rite inveſtigatis, natura ipſa facem præferente, tot ſtatuantur in Syſtemate claſſes, in quot veluti *familias* natura plantas

A dis-

— 2 —

distribuisse videatur: quare igitur ad *Naturalem* quandam *Methodum*, laudes ejus sic vivide sentientes, amplectendam prout fuerunt. At vero ex altera parte perpendentes, inconstantiores esse, qui in *Sytemate* *Naturali* adhibeantur, *characteres*, multasque plantas adeo in ipso duarum *pluriumve* *naturalium* *classium* quasi *confinio* *deprehendi* *constitutas*, ut non possit non esse incertum, ad quam istarum potissimum sint referenda; omni studio in id incumbendum sibi putarunt Floræ amore capti, ut fidius in plantarum multitudine rite dispendenda *Ariadneum* *filum* invenirent, *characteresque* *detegerent* *magis* *essentiales*, quorum ope semper & tuto a se invicem dignosci possent *Vegetabilia*. Hoc igitur consilio partes quasdam plantarum minuires, sæpe magis occultas, sed perraro mutationi obnoxias consuluerunt; & sic qui tem, teposito respectu *affinitatum* *Vegetabilia* inter *naturalium*, eas tantum plantas, quæ in his partibus convenirent, in *Sytematibus* *suis* *consociarunt*; in *diversissimas* *ceterum*, hac in re *perficienda*, *vias* *diversi* *abeuntes*. Sic fere oriebatur *Artificiale* *Sytematis* *Botanici* *genus*: quod quidem mature adeo *scientiæ* *cultoribus* *arrisit*, ut, qui primus habetur in *disciplina* *plantarum* *Sytematicus*, *CASALPINUS* *plene* *artificiale* *jam* *condiderit* *Sytema*, postque illum plurimi (& in his summus, qui unquam existit, *Botanicus*, *immortalis* à *LINNÉ*) *idem* *Sytematis* *genus*, *vel* *nolescentes* *forte* *nonnunquam*, *commendarunt* & *secuti* *sunt*.

Licet autem hoc modo victrix existerit *artificialis* *plantarum* *disponendarum* *methodus*, quam quidem *tironibus* *accommodatiorem* *esse* *negari* *nequit*; *defectus* *tamen* *ejusdem* & *difficultates* *fugere* *haud* *potuerunt* *perspicaciam* *Botanicorum*, *probe* *nimirum* *intelligentium*, *contra* *naturam* *graviter* *peccari*, *quoties* *in* *Sytematibus* *ab-*



abſone diſjunctantur quas natura oppido conjunxit Vegetabilium ſpecies. — Methodo igitur naturali, ſi non aperte (a), at occulte ſaltem, juſtum honorem habuerunt, qui herbarum ſtudio ſe dederunt naturæ ſcrutatores, adeo ut vel eorum Botanicorum, qui artificialia Systemata ipſi excogitarunt & amplexati ſunt, vix ullus ſit repertus, qui non, in inſtituenda ſecundum eorundem normam plantarum diſpoſitione, naturalem methodum tacite conſuluerit & in auxilium quaſi vocaverit: unde in Systematibus artificialibus plurimis permulta ſemet offerunt Clafſium & Ordinum Naturalium fragmenta.

Hinc igitur ne noſtris quidem adhuc temporibus, licet tot Magnorum Virorum ſtudiis & laboribus rei herbariæ dicatis, inter omnes conveniſſe videtur, utrum in *Artificiali*, an in *Naturali* vegetabilia diſpeſcendi methodo conſulcius fit adquiſcere. *Illius* alii, utpote, ultra quam dici poſſit, certiore & tutiore, adhaec dum commendant; alii vero *buic*, quippe cum natura amicis conſpiranti, palmam delatam malunt, quod eo potiori jure facere ſibi videatur, quo lætior, ex ipſorum ſententia, nobis adfulget ſpes fore, ut, crescente quotidie plantarum cognitione innotescenſibusque ſenſim pluribus earundem generibus atque ſpeciebus, inſigniore in dies & omnibus demum numeris abſolutam perfectionem methodus hæc aſſequatur.

A 2

In,

---

a) Neque tamen, hoc qui facerent, defuerunt. Præter namque *MORISONUM*, qui plurimas habet claſſes plene habituales ſ. naturales, ipſiſſimus à *LINNE* in hoc quoque genere excelluit. Poſt Eum reſentiores haud pauci Naturalem methodum *ſolan* amplexati ſunt: Quos enumerandi & *LINNE*, hoc etiam reſpectu, præ illis merito expenſendi, mox nobis erit occaſio.

— 4 —

Ingenue autem fateamur, oportet, veram methodum naturalem nondum saltem esse inventam. Quidquid enim sub hoc titulo hucusque apparuit, longe adhuc a meta distat vel ob plures catenæ hiatus, vel quia incertum & ambiguum sæpe est, cui ordini hoc vel illud genus sit adfociandum (b). Inter recentiores v. c. qui laudatæ huicce methodo explicandæ operam dederunt, hi fere eminent: AUG. JO. GE. CAR. BATSCH (c), MICH. ADANSON (d), NAT. JOS. DE NECKER (e), ANT. LAUR. DE JUSSEU (f), C. F. BRISSEAU DE MIRBEL (g) & ST. HILAIRE (h); de quorum autem omnium scriptis id, quod mox tulimus, valet iudicium. Et licet ita injuriæ haud simus, ut negemus permultum a tot doctorum Virorum industria & sagacitate in scientiam nostram emolumenti redundasse, interim tamen fatendum arbitramur, Illustr. à LINNÉ etiam in Characterum Naturalium investigatione non minus ingenio singulari quam iudicio reliquis antecelluisse. Ordines enim naturales ab immortalis Viro primo in Philoſ. Botan. constituti, & quorum deinde notas prælectionibus uberius explicavit (i), certe magis naturæ conveniunt & pau-

- 
- b) VANT Enumerat. Plant. Præf. p. VII. Hafniæ 1805.  
 c) Dispositio Generum Plantarum Jenensium secundum Linnæum & Familias Naturales. Jenæ 428.  
 d) Familles des Plantes, Paris 1753.  
 e) Elementa Botanica. Neowædæ ad Rhenum 1790.  
 f) Genera Plantarum secundum Ordines Naturales disposita. Parisiis 1789. Denovo edita & aucta a PAULO USTERI 1791.  
 g) Description des Végétaux rangés par des Familles. Paris 1805.  
 h) Exposition des Familles naturelles & de la germination des plantes, Paris 1805.  
 i) Egregias hasce prælectiones in Ordines Naturales Plantarum, e-

paucioribus exceptionibus obnoxii sunt, quam plurimas recentiorum Botanicorum sic dictæ plantarum familiæ.

Quamvis autem, ut e dictis patet, de Methodo potissimum adhibenda dubiis adhuc hæreant Scientiæ Botanicæ periti; in eo tamen cuncti amicissime consentire videntur, quasdam esse classes s. ordines Naturales insigniter adeo a cæteris omnibus habitu diversos, ut naturalibus quam artificialibus longe melius & facilius cognoscantur characteribus, hocque in primis de tota *Umbellatarum* cohorte optime valere; quæ quidem Plantarum familia ita perfecte est naturalis (k), ut in quovis Systemate *peculiaris Classis* dignitatem, eodem jure ac *Papilionacea*, *Crucifera* e. q. s. r., tueatur; quare & ROB. MORISONI (l), PETRI ARTEDI (m), HENR. JOH. NEFOMUCENI CRANZII (n) alio-

proprio & JOH. CHRIST. FABRICII MS:to edidit Discipulus Summus Viri eximius PAUL. DIET. GISEKE. Hamb. 1792.

- k) Genus ambiguum *Lagacia* forsitan excipiendum; quod tamen cum Umbellatis genere intermedio *Chamitis* necesse possit.
- l) Plantarum Umbelliferarum distributio nova. Oxoniæ 1672.
- m) Quæ fuerint hujus, præmatura morte extincti, Viri de Plantarum Umbellatarum distributione &, pendente inde, certiori cognitione merita, en ipsius LINNÆI testimonium: "Sudabat tum temporis (a. 1735) Lugduni Systema meum per tria naturæ regna, ad quod ornandum ille (Petr. Artedius) mecum sum de Piscibus naturalem methodum communicabat; nec sibi in eodem opere Notæ circa *Umbelliferarum plantarum distributionem, ab involucre desumptum, proponere inventum; Hic enim in animo habebat, ab solutis piscibus, solummodo umbelliferas plantas excolere, ni prævenissent fata."* V. P. ARTEDI vitam, quam Ichthyologia Eiusdem a se editæ præmisit III. a LINNÆ,
- n) Sermo de Umbelliferis. 1767.

afforumque singularem movit attentionem & studium, in HERMANNI VETO, BOERHAAVII, RAYI, TOURNEFORTII, PONTEDERÆ & recentiorum plurimorum Systematibus peculiaris clasfis honorem est consecuta.

Verum enim vero quo minus est dubium Ordinem vel, si mavis, Classem *Umbellatarum* facillimo negotio ab omnibus aliis plantarum familiis posse distingvi, eo quoque verius est, generum (o) ex Umbellatarum ordine *characteres* difficiles adeo visos fuisse Auctoribus, ut genera bene multa insigniter confuderint, referendo scilicet species, imprimis recens detectas, ad genera antiqua & incongruentia, quo factum est, ut Systema, cujus emendandi & perficiendi officium illis incumbēbat, vitiis & defectibus (qualis sæpe esse solet mortalium fors) inquinaretur.

Exemplum istius modi errorum, inter alia, præbent etiam Genera *Dauci* & *Amneos*; in quorum quidem limitibus definiendis speciebusque ad suum quibusque genus referendis insignis se confusionis reos fecere Systematicorum haud pauci.

In Systemate quidem *Linneano* hoc caractere dignosci genus *Dauci* docetur, quod *Involucrorum* foliola habeat *pinnatifida*, *Corollas subradiatas*, *omnes hermaphroditas* fructumque *pilis hispido*; Genus vero *Amneos*: *Involucris pinnatifidis*, *Corollis radiatis*, *omnibus hermaphroditis*, fructu-

---

e) Quam difficiles determinati notæ genericæ Umbellatarum revera sint, ex his etiam Cel. GÄRTNERI (in Præfatione libri de fructibus & semineibus plantarum) verbis: "Varia ex Umbelliferarum Tribu pro mere Editiis, & extra Carpologiae orbitam vix aut plane non admittendis declaramus" colligere licet.

*fructuque levi*, esse cognoscendum; unde igitur parer *fructus*, in illo *bispidi*, in hoc *levis* diversitate præcipue distingvi duo hæc genera. Quæ cum ita sint, non potest non mirum videri, ill. à LINNÉ sibi ipsi non melius confisise, quam ut suum *Ammi Copticum*, seminibus muricatis, ut ipse tradit, notabile, ad *Ammeos* retulerit genus, & *Daucum Visnagam* (ut quidam hujus plantæ Linneanum nomen est) *Dauci* generi subjecerit, cum tamen, ex generico caractere, *Ammi Copticum* ad *Daucum*, *Daucus* autem *Visnaga*, seminibus quippe lævibus, quamquam inter strias aliquantulum villosis, conspicuus, ad *Ammi* oppido pertineat. Neque hanc removit difficultatem Ill. Equ. WILLDENOW, sub *Ammeos* nempe genere eandem retinens plantam seminibus muricatis instructam, quam *Ammi Copticum* appellavit à LINNÉ; pariterque *Daucum Visnagam* L. *Dauco* etiamnum associans. Cum autem *Dauci* generis characterem, a LINNEO constitutum, ita corrigeret WILLDENOW, ut cum ille omnes ejus corollas *hermaphroditas* esse doceret, hic *foseulos disci abortivos* esse traderet: forsan hunc characterem, in *Ammi Coptico* L. non deprehensum, effecisse, ut WILLDENOW illud ad *Dauci* genus amandare non potuerit, pariterque hujus characteris in *Dauco Visnaga* L. præsentiam in causa fuisse, cur hæc plantam ad *Ammeos* genus referre non sustinuerit, conjicias. Sed quoquo modo se habent illa, haud sane exiguus est Systematis defectus esse speciem Generi assignatam, in qua inest nota contraria ei, qua distingvitur genus. Hinc etiam eximius ille atque solers Botanicus P. RSOON, Willdenowianum licet fervens *Dauci* generis characterem, nihilo tamen minus *Ammi Copticum* L. *Dauci* generi, & *Daucum Visnagam* L. *Ammeos* generi, subjecit, & contentientem sibi haber Celeberrimum Russiæ Botanicum Lib. Bar. FRIDERICUM MARSCHALL A BIEB RSTEN; qui

— 6 —

qui quidem in *Flora Taurico-Caucasica* T. I. pag. 210. Charcowiz 1808. Visnagam ad Ammeos genus pariter retulit.

---

Ut autem ad præcipuum scriptionis nostræ argumentum jam accedamus propius, moneamus oportet, in Horto Academiæ Aboënsis proxime elapsa ætate læte floruisse herbam Umbellatam ex Ammeos genere, seminibus prognatam e Petropoli ad nos missis a Consiliario Status & Equite Domino JOH. JAC. VON BOEBER, qui quidem Ammi illud a Cel. FISCHERO, Præfesto Horti Rasumowskyani *Gorinka* prope *Moscoviam*, acceperat. Hanc plantam, quæ quantum nobis quidem constat, a nemine Auctorum adhuc descripta est, ad Ammeos genus pertinere eo minus dubitamus, quo plenius characteri generico Ammeos a Cell. WILDENOW & PERSOON definito: *Umbella laxa; Invol. pinnatifida; Corollæ radiatæ, omnes berry-maphroditæ; Fructus lævis, strintus*, respondet. Ad Daucum quominus referatur, flores ejus omnes fertiles fructusque lævis impediunt. — Speciei notas, ex nostro quidem judicio satis manifestas, sequens exhibebit Descriptio; in qua exaranda tenellas vires periclitari, eo minus dubitavimus, quo opportunius nobis, industriæ Academiæ aliquod exhibituris specimen, ista semet obtulerat planta, quoque esse solet nostra quidem ætas novitatis avidior. Benevolam Lectoris veniam, qua nihil magis opus nobis esse fatemur, eadem forte novitas immaturo tirocinio comparabit; neque non dolemus tamen, non sivisse tempora ut iconem, quam descriptioni adjungere animus erat, Botanophilis jam exhibeamus. Alia igitur, si fata spem haud fefellerint, occasione plantam nostram ulterius illustrabimus; inprimis cum nec nisi per unam adhucdum ætatem eandem videre examinareque nobis con-

confingerit, & ob hanc quoque causam imperfectior etiam, quam fieri alioquin potuisset, nostra jam prodeat opella.

*Descriptio.*

*Radix* annua, fibrosa, lignosa.

*Caulis* herbaceus, inanis, circiter cubitalis, crassitie fere Cari Carvi, erectus, flexilis, teres, inermis, laevis, striatus, dichotomus, ramosus.

*Rami* structura caulis, alterni, erecti, divergentes, fastigiati. Nonnulli tamen *ramuli laterales* ceteris breviores,

*Folia* decomposita, duplicato-ternata, aut cum impari pinnata, foliolis ovato-lanceolatis, acute serratis, axillaria (tantum non omnia), vaginantia, patentia, glabra, reticulato venosa, plana, membranacea, persistentia.

Obs. Folia caulina & ramea inter se simillima sunt, radicalia autem majora, & saepissime ovatis intermixta.

*Fulcra.*

*Petioli* caulem vaginantes, membranacei.

*Pedunculi* terminales, umbelliferi, teretes, striati, nudi.

*Involucrum Universale* magnum, pinnatifidum, ut plurimum 8-phyllum, persistens.

*Partiale*: simplex, foliolis linearibus, acutis, pariter ut plurimum 3 phyllum, persistens, umbellula brevius.

B

In-

**Inflorescentia.**

*Umbella* radiata, composita, plana, aut plano-concava, nutans & laxa.

*Umbellula* conferta.

Obs. Numerus radiorum tam *Umbellæ* quam *Umbellulæ* valde variat. Plurima tamen, quæ examinavimus, exemplaria *plures quam viginti* & in *umbella* & in *umbellula* radios habuere.

**Flores** omnes hermaphroditi s. fertiles.

**Corolla** pentapetala; Petalis integerrimis, inflexis, cordatis, albis.

**Stamina** Filamenta quinque; antheræ subrotundæ.

**Pistilla.** Styli duo, reflexi. Stigmata obtusa.

**Fructus** inferus, ovatus, profunde striatus, bipartibilis.

**Semina** duo, lævia, semiovata, obrusa, costis 5 dorsalibus notata, in ventre 4 fulcis excavata.

**Receptaculum** nullum s. obsoletum.

---

Ex hac igitur, qualitercumque adumbrata, descriptione videre poteris B L., quibus potissimum characteribus a ceteris Ammeos speciebus nova hæc differat: quod vero ut clarius etiam appareat & uno mox obruru cerni possit, breviter comprehensam *differentiam* ejus *specificam*, qua & Systematibus aliquando inserta a congeneribus suis dignosci possit, heic siltere juvabit: *Triviali* simul nomine, quod a BOERHO traxisse herba nostra superbiat, adje-

cto.



cto. En igitur characterem specificum, quo distingvatur novum

*Ammi Boeberi*: Foliis inferioribus duplicato-ternatis, & interdum ovatis, superioribus duplicato ternatis & pinatis, foliolis omnibus ovato-lanceolatis, serratis.

Ad *Ammeos* nomen quod attinet, magnæ illud est antiquitatis. Commemoratur ab HIPPOCRATE, DIOSCORIDE (p), PLINIO (q), GALENO: siletur (mirum!) a THEOPHRASTO Impositum id, e Græca *arenam* denotante voce, *ἄμμος*, viderur, ut quidem Ill. à LINNÉ r), haud sine similitudine veri, conjicit. Cujus autem plantæ fuerit veterum jam laudatorum *Ammi*, non æque inter omnes constitit (s), sed eo tamen inclinante, jam inde a MAT-

A 2

TH.OLI

p) Ἄμμι ἔνιοι καὶ τὸτο Ἀθιοπικόν, οἱ δὲ βασιλικόν, κύμινον καλέουσι ἔνιοι δὲ ἑτέρας φύσεως τὸ Ἀθιοπικόν κύμινον φασάν εἶναι, καὶ ἑτέρας τὸ Ἄμμι γινώσκον δὲ τὸ σπερμάτιον, μικρότερον πολλῶ τὰ Κυμίνῃ καὶ ὀργανίζον τῇ γεύσει. Diosc. Lib. III. c. 70.

q) Est *Cumino* simillimum, quod Græci vocant *Ammi*. Quidam vero *Æthiopicum Cuminum* id esse existimant. Hippocrates regium appellat. — — Plerique alterius naturæ in tatum putant, quoniam sit exilius & candidius: Similis autem & huic usus Esc. L. XX. c. 15.

r) Philosoph, Botan. p. 186. Concinit Worr: *Ammeyfaat* wird von den Scribenten als ein sehr kleiner, runder und gestreifter Saamen beschrieben, so dem Sand gleich sey, und soll also viel kleiner als der PeterfilienSaamen seyn. *Gazophylac. Medico-physic. Leipz. 1767 p. 105 1q.*

s) Es hat bisher ein jeder Medicus und Apotheker ein besonder *Am-*

THEOLI & TABERNEMONTANI tempore Medicorum sententia, ut *Sison Anni* L. illud crederent: quod quidem eo magis est probabile, cum hujus semen & exile sit & odore gaudeat ad *Origanum* secedente (z). Hinc hujus semina, sub *Anneos veri* nomine Pharmacopolis jam dudum inferri coepta, sed insigni praeterea appellationum varietate, nominibus nempe *Cumini regii*, *Aethiopici*, *Alexandrini*, *Cretici*, *Caminella*, *Muriola*, *Anneos Cretici*, & *Feniculi Lusitanici*, subinde rotata. Medicamen hocce nostro aervo antiquatum, in *quatuor* illorum *Seminum calidorum minorum* numero quondam erat, saepeque adeo magna vix autem optato cum successu in morbis varii generis exhibebatur, ut Theriacam quoque, quemadmodum *ANTIOCHI Magni* jam tempore (w), ingrederetur. — Sed in quo libro *Sison* illud *Anni* nomine *Anneos veri* proponeret *ILL.* à *L. NNÉ*, ibidem & *Lagaria cumisoidis* semina, ut *Anni veterum*, seorsum proposuit (v). Neque minus inter *Anneos veri* & *Anneos vulgaris* semina distingvi in Pharmacopolis sivevit: hæc autem, ex *Anni Majori* L. colligi solita, cum debilioris sint aromatis & fere inodora; majori etiam jure e Pharmacopœis hodiernis exulant.

Quot

ney gehabt, und ist keines: das etwas Gleichheit mit dem alten gehabt hätte, welcher Irrthum nun zur Zeit bey vielen offenbaret und ausgereutet worden ist, und das wahre Ammonium der Alten wieder an seine Statt gekommen. I. TH. TABERNEMONTANI Kräuterbuch, vermehret durch CASP. BAUMANN, Frankf. am Mayn 1625, I: Buch S. 280.

z) J. A. MURRAY Appar. Medicaminum Vol. I. p. 260. BRACTE Mat. Med' p. 208.

w) PLINIUS L. XX. c. 24.

v) Materia Med. Holm. 1749 n. 92 & 140.

Quotquot ad Ammeos genus pertinent species, calidiorum plagarum incolæ indigenæ sunt: unde in Europam, ejusque etiam Boreales partes, nonnullæ earum inductæ fuerunt. *Amma Majus* & *Amma Visnagam* in Anglia floruisse jam Anno 1597 GERARDUS retulit. *A. Copticum* non ante quam A:o 1773 (\*) ab Ill. BUTE hospitii Europæi jure donatum fuit. Nostrum vero, aut BOEBERII potius, *Ammi* est, quantum quidem conjectura adsequi possumus, e mioribus Russtræ Australis plagis oriundum.

---

Præter eas, quarum in superioribus injecta fuit mentio, Ammeos, nostris jam temporibus, hæc fere cognitæ sunt species:

*Amma Meoides*, fol. multifidis capillaceis, petiolis caliculatis

*A. Glaucofolium*, fol. bipinnatis: foliolis pinnatis, trifurcatis, linearibus, albo acuminatis.

*A. Divaricatum*, sem. striatis ovatis, caul. ramoso divaricato, umbel. radiis subtrifloris.

*A. Capillaceum*, fol. omnibus capillaceo-multifidis, sem. glabratis.

*A. Daucifolium*, fol. supradecompositis, foliolis tripartito pinnatifidis, acutis.

---

\*) Annonæ Kew Garden.

---









Art